



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

6 Quæ res poßit causalitatem finalem exercere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

per se sufficiens est ratione suæ bonitatis ad causalitatem finalem exercendam, quoad vtramque eius partem. In quo munere sese habent mutuo sicut excedens & excessum, nam bonum delectabile, & quoad nos plus mouere solet, & ad se trahere appetitum, & delectatio quodammodo est vltima perfectio operationis propter se amabilis: at vero bonum honestum, quo maius est, & per se nobilius, eo de se & natura sua potentius est ad hanc causalitatem exercendam, & nobiliores etiam effectus potest in hoc genere causare. Quin potius, si naturæ institutionem spectemus, solum honestum bonum habere debet propriam rationem finis, nam delectatio ex intentione naturæ non est propter se, sed propter operationem cui adiungitur, & ideo propter illam amari debet, de quo alias latius.

De bono autem vtili, cum non sit per se bonum, satis manifestum apparet, non esse sufficiens ad causalitatem finalem exercendam, quia bonum vtile ut sit non est per se amabile: ergo non est sufficiens ad primam motionem finis exercendam. Rursus quatenus vtile est, non est id, propter quod aliud amatur, nam potius ipsum amatur propter aliud, ergo neque secundam motionem, seu causalitatem finis exercere potest. Quin potius sub ea ratione est effectus finis, quia est id, quod alterius gratia fit, vel amatur: ergo bonum vtile ut sit non potest causalitatem finalem exercere. Sola ergo bonitas honesta, siue moralis siue naturalis, & bonitas delectabilis, potest esse propria ratio cauſandi finaliter. Hic vero occurrebat ita difficultas de medijs, an possint causalitatem finalem exercere, quam melius tractabimus sectione sequenti.

SECTIO VI.

Queres possint causalitatem finalem exercere.

Difficultas huius questionis ex duplici capite oriri potest. Primum est de medijs, an illa possint exercere causalitatem finis, videtur enim ex ipsis terminis manifestum, non posse media habere causalitatem finis, nam sola res, quæ est finis, potest exercere causalitatem finis, sed medium est res distincta à fine: ergo non potest exercere qualitatem finis. In contrarium vero est, quia mediū ut medium allicet voluntatem, ut ipsum amet: ergo in hoc exercet causalitatem finis. Et maxime, quia etiam ad vnam medium potest aliud ordinari, tunc ergo illud medium, quod est prius ordine intentionis, exercet causalitatem finis circa aliud, quod ad ipsum ordinatur.

Secunda difficultas est de priuationibus aut negationibus, an sub hac propria ratione possint exercere causalitatem finis, id est, absque errore iudicata & existimata, quod priuationes vel negationes sint, & non vera entia. Et idem queri potest de relationibus, præsertim rationis. Et ratio difficultatis est, quia hæc sicut non habent veram entitatem, ita nec bonitatem, & præsertim per se amabilem: ergo non habent vim & rationem proximam ad cauſandum finaliter. In contrarium vero est, quia sæpè per se intendimus huiusmodi priuationes, & earum gratia media eligimus, ut alicuius mortem, vel aliquid simile. Similiter intendimus aliquando relationes rationis, ut humanas dignitates, aut æstimationes apud alios, quæ in sola relatione rationis consistunt.

Possintne media causalitatem finis exercere.

Circa priorem difficultatem sunt varij dicendi modi. Primus est media etiam ut media, posse exercere causalitatem finis: in quo hæc sententia contra Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

dicunt apertè vltimæ parti tertiæ assertionis propositæ in præcedenti sectione. Tenet vero illam Gabriel in 1. dist. 38. artic. 1. vbi ex sententia Gregorij ibi artic. 1. distinguit, finem alium esse propriissimum, aliū proprium, alium communem seu communissimum, & hoc vltimo modo dicit media habere rationem finis, eiusque causalitatem exercere. Vnde etiam illud medium, quod est vltimum in intentione, & primum in executione, propter quod nullum aliud eligitur, ait participare causalitatem finis. Fundamentum esse videtur, quia omne obiectum voluntatis habet rationem & causalitatem finis, sed mediū ut medium, seu quod non est nisi medium, est obiectum voluntatis: ergo participat causalitatem finis. Minor cōstat, quia voluntas vere ac proprie versatur circa finem amando ipsum, illud autem est proprium obiectum potentie circa quod ipsa versatur. Maior autem sumitur ex D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1. vbi ait finem esse obiectum voluntatis: loquitur autem de obiecto adæquato, tum quia dicit, ita se habere finem ad voluntatem, sicut color ad visum, color autem est obiectum adæquatum visus. Tum etiam, quia inde inferunt voluntatem amare omnia sub ratione finis, quia amat omnia sub ratione sui obiecti: quæ consecutio bona non esset nisi finis esset obiectum adæquatum. Fauet etiam Aristot. 2. Phys. c. 3. dicens, *finem & bonum idem esse*: bonum autem est obiectum adæquatum voluntatis: ergo & finis.

Secundus modus dicendi est, rem, quæ est mediū, etiam si propter se non ametur, neque amabilis sit, posse exercere causalitatem finis, non tamen quatenus medium est, sed quatenus propter illā aliud medium appeti potest. Itaque illud medium, quod non est primum in executione, sed intercedit inter finem & primum medium, dicitur participare causalitatem finis, non quatenus amatur propter ipsum, quia sub ea ratione est id cuius gratia, & consequenter habet rationem finis proximi, & non medijs. Illud vero, quod est primum medium, propter quod nullum aliud amatur, non participat causalitatem finis. Hanc sententiam tenet Aegid. in 2. d. 38. quæst. 2. art. 2. Gabr. in 2. d. 1. quæst. 5. art. 1. & Ocham in 2. quæst. 3. & videtur fauere D. Thomas 3. cont. gent. capite 2. vbi in ratione quarta dicit, *Omnia intermedia inter agens & vltimum finem, sunt fines respectu priorum, & principia actiua respectu sequentium*, & in 2. Phys. lect. 5. ait, de ratione finis non esse, quod sit vltimum simpliciter, sed solum respectu præcedentis. Idem sentit 1. Ethic. cap. 7. vbi Aristoteles multum fauet huic sententiæ, dicit enim, non omnes fines esse perfectos, & propter se expetibiles, & in 5. Metaphysic. & 2. Physic. inter fines numerat instrumenta artis, & diuitias, quia per alia media sunt vel acquiruntur, quamuis ipsa etiam sint media ad vltiores fines. Ratio vero est iam tacta, quia in illis est sufficiens ratio ad mouendam voluntatem, ut aliquid velit propter ipsa: & hoc satis est ad exercendum aliquid munus causæ finalis, etiam si non exerceant omnia.

Statuitur principium ad resolutionem questionis necessarium.

Nihilominus dicendum censeo, nullam rem posse proprie, & (ut ita dicam) per intrinsecam denominationem exercere causalitatem finis, nisi quæ per se bona sit, & expetibilis. Cur addam illas particulas, *proprie & per intrinsecam denominationem*, infra declarabo. Sumo igitur hanc assertionem ex Aristot. 2. Metaphysic. 2. vbi dicit, de ratione finis esse, ut alia appetantur propter ipsum, ipsum vero non propter alia: vbi per hanc posteriorem negationem circumloquitur illam rationem, quam nos positius explicamus dicendo, finem debere esse per se expetibilem per propriam bonitatem, quam in se habeat. Nam non est de ratione finis, generatim loquendo, ut propter aliud

liud non appetatur, sed hoc est proprium finis omnino ultimi. Vnde in 1. Ethic. c. 7. dicit, in vnaquaque re illud esse finem, quod appetitur ut ultimum, id est, in quo sistit intentio mediorum omnium, quæ propter finem appetuntur. Sic etiam 2. Phys. cap. 3. dicit, omnia media, quæ inter se subordinata sunt, esse propter vnum finem. Denique lib. 1. Magn. Moral. c. 2. distinguit, Bonorum alia sunt fines, alia non: quemadmodum sanitas quidem finis, atq. sanitatis causa nequiquam finis est, ubi sanitatis causam vocat medium ad sanitatem. Et probatur ratione, nam in vnoquoque genere causæ illa res potest causare in tali genere, quæ habet virtutem, seu formale principium constituens in actu primo causam talis generis, sed bonitas est ratio formalis causæ finalis, constituens illam in actu primo sufficientem ad cauandum: ergo tantum res illa, quæ bonitatem habet, esse potest causa finalis per intrinsecam potentiam seu denominationem, omnis autem res, & illa sola, quæ in se habet bonitatem, & conuenientiam respectu appetentis, est per se bona, & appetibilis: ergo tantum res, quæ est per se bona & appetibilis, potest causalitatem finis exercere.

VI. Dices: Etiam res utilis ut sic, habet in se bonitatem, cum in se habeat utilitatem, nā utilitas quædam species bonitatis est. Sed contra hoc est, quod supra diximus tractando de bonitate disput. 10. bonum utile ut sic non esse aliquid omnino intrinsecum rei, quæ utilis censetur, nam licet utilitas, ut solum dicit vim aliquam vel efficacitatem, sit aliquid in re, quæ denominatur utilis, tamen tota illa utilitas non est bona, neq. appetibilis ut utilis, nisi propter bonitatem finis intenti, & ut illi subest. Propter quod D. Thomas 1. part. quæst. 5. artic. 6. merito dixit: *Utilia non esse amabilia propter se, sed solum ratione finis.* Et ideo etiam bonum utile ut sic non censetur bonum simpliciter, nec per intrinsecam denominationem, quia non est per se conueniens, sed solum ut substat tali fini, & ab illo quasi formaliter conuenientiam accipit.

VII. Secundò igitur argumentor in hunc modum, nam ea res, quæ non est per se bona, non potest mouere voluntatem ad amandum se propter se: ergo nec potest voluntatem mouere ad amandum alia propter ipsam: ergo nullam causalitatem finis exercere potest. Hæc secunda consequentia patet ex dictis, quia tota causalitas finis in illis duobus capitibus continetur. Primum vero antecedens etiam videtur ex terminis per se notum, quia cum solum bonum trahat appetitum ad sui dilectionem, illa tātum res potest trahere appetitum ad amandum se propter se, quæ secundum se & sine ordine ad alium finem bona est. Vnde non recte in ratione dubitandi in principio posita sumebatur, medium ut medium trahere voluntatem ad sui dilectionem: vltcriusque diceretur finem ipsum trahere voluntatem ad diligendum medium, nam re vera nihil aliud est velle medium propter finem, nisi quod tota ratio volendi illud, sit ipse finis: ratio autem volendi est, quæ voluntatem mouet & attrahit, & ideo etiam motiuium voluntatis appellari solet: medium autem est tanquam materiale obiectum, quod ratione finis amatur. Atque hinc faciliè probatur prior consequentia, quia quod non sufficit voluntatem trahere ad se amandum, multò minus potest trahere voluntatem ad amandum aliud propter ipsum: sed res illa, quæ non est per se bona, non potest trahere voluntatem ad amandum se, ut ostendimus: ergo minus potest trahere voluntatem ad amandum aliud propter ipsam. Maior patet, tum ex illo principio, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: & ita si medium amatur propter finem, magis amatur finis: ergo res, quæ facit aliud amari propter ipsam, oportet ut magis faciat amari se ipsam: ergo e conuerso, quæ non potest trahere ad amandum se, multò minus poterit trahere ad amandum aliud propter se. Tum etiam, quia amor mediij propter finem procedit ex amore

finis: ergo si amor alicuius rei ut finis non potest causari ab illa re, neque amor alterius rei propter talem finem potest ab illo fine finaliter causari: quod est dicere, illum non posse esse finem, si nomine finis vera causa finalis significetur, prout nunc de illa loquimur in ordine ad creatam voluntatem.

Responsio generalis ad questionem propositam.

EX hoc principio colligitur primò generalis responsio ad questionem in titulo sectionis propositam, scilicet, eam rem posse propriè exercere causalitatem finalem, quæ in se habet bonitatem propter quam ametur (aut verè, aut in existimatione, quod intelligatur adiectum in omnibus similib. locutionibus, ne oporteat idem repetere.) Hæc conclusio est euident ex præcedenti principio, & probationibus eius. Quocirca non possumus in particulari descendere ad designandas res, quæ possunt finaliter causare, nimirum an Deus, vel angelus, vel homo, vel substantia, vel accidens, vel diuitiæ, vel honor, vel alie huiusmodi possint finaliter causare: sed in omnibus & singulis considerandum est quam bonitatem, vel conuenientiam per se habeant, & si aliquam habuerint, secundum illam poterunt esse finalis causa, si vero nullam habeant, non poterunt. Solum autem duplex bonum est per se, & secundum se bonum, nempe delectabile, & honestum, sub honesto comprehendendo quicquid est per se naturæ conueniens, & ideo quicquid tale fuerit, poterit sub ea ratione causalitatem finis exercere, quod autem tale non est, nunquam exercet causalitatem finis, nisi quia tale existimatur, & hoc modo diuitiæ, aut honores appetuntur sæpe ut finis, quamuis illæ res, si rectum de illis feratur iudicium, non sint per se amabiles aut conuenientes, sed tantum propter aliud.

Dices: Eadem ratione bonum delectabile non erit vere sufficiens ad cauandum finaliter, quia in rectum de illo feratur iudicium, non est amabile propter se, sed propter aliud. Imò neque scientia, sanitas, & res similes poterunt exercere causalitatem finalem, quia non sunt amabiles propter se, sed propter hominem. Ad priorem partem respondetur negando sequelam, est enim ratio longe diuersa, quia bonum delectabile præcisum ab omni alio fine extrinsecò, vere habet in se vnde ametur, & ideo potens est, & sufficiens de se ad exercendam causalitatem finis: quamuis si ab homine recta, id est, honesta ratione appetendum sit, non sit in eo, ut in finem intendendum, sed ad aliquem superiorem finem ordinandum, quod non solum de bono delectabili, sed etiam de bono conuenientie naturæ, seu naturali, prout condistinguitur à morali honesto, intelligendum est. Vnde claritatis gratia dici posset bonum delectabile secundum verum iudicium speculatiuum, seu physicum esse per se amabile, quod satis est, ut per se sufficiat ad exercendam causalitatem finis, & non tantum ex falsa æstimatione operantis, sed etiam ex propria vi quam in se habet: quamuis secundum verum iudicium practicum & morale, quod attenditur per confirmitatem ad appetitum rectum & honestum, non sit appetendum, ut finis ab homine honeste operante. Secus vero est de alijs rebus, quæ omni huiusmodi bonitate carent, ille enim nec secundum iudicium practicum, nec etiam secundum speculatiuum verum, possunt esse finales causæ, sed solum ex falsa existimatione.

Ad posteriorem partem respondetur negando sequelam, nam illæ res verè sunt propter se amabiles, nā per se sunt naturæ conuenientes. Nec refert, quod tantum sint amabiles homini, nam hinc solū fit, non esse amabiles amore amicitie, sed concupiscentie, quod non impedit veram & propriam causalitatem finalem, quicquid Gabriel loco supra citato significet.

cet. Et patet, quia tales res per bonitatem quam in se verè habent, alliciunt, & ad se trahunt voluntatem, iuxta modum & capacitatem earum. Nam quia ipse tales sunt, ut natura sua coarctentur homini, & sint perfectiones eius, ideo licet propter se diligantur, homini tamen diliguntur: & istæ duæ habitudines non repugnant inter se, neq; comparantur ut medium ad finem sed ut finis cuius, & finis cui, qui integrant vnum completum finem, ut supra vidimus.

Resolutio de causalitate mediorum.

Secundo principaliter colligitur ex dicto principio Resolutio prioris difficultatis de causalitate mediorum. Res enim quæ est medium ad alium finem, potest sub aliqua alia ratione esse per se appetibilis, ratione alicuius bonitatis, quæ in se verè habet etiam præcisa relatione ad illum finem, & sub earatione non est dubium quin possit res quæ est medium, habere causalitatem finalem, quia non habet illam ut medium. Imo respectu illius, materiale quid, & per accidens est, quod talis res sit medium, seu ametur propter alium finem: neque de hoc est vlla controuersia. Alio ergo modo potest se habere res quæ est medium, ita ut nullam habeat rationem per se boni, vel saltem quod per illam non causet, nec propter illam ametur, sed tantum quatenus utilis est: & sub hac consideratione simpliciter negari debet rem illam ut sic sufficientem esse ad exercendam causalitatem finalem. Et quidem si illa res talis sit ut solum ametur propter finem, res videtur euidentissima, quia nunc amatur ut purè medium, quod omnes Philosophi à fine ut fine distinguunt, & potius censent pertinere ad effectum finis, quam habere rationem causæ. Et hoc etiam confirmant omnia, quæ in probatione primæ assertionis adduximus. At verò quando hæc res quæ est medium, induit habitudinem termini respectu alterius mediij quod amatur propter ipsam, videtur iam participare aliquo modo rationem finis.

Et ideo maioris claritatis gratia, & ad declarandas locutiones nonnullorum grauium authorum, possumus hic accommodare distinctionem quam Gabriel citato loco adducit, nam aliud est loqui de fine ut puram rationem termini induit, aliud verò ut habet propriam rationem causæ finalis: hic enim de illo loquimur sub hac posteriori ratione. Et hoc modo negamus tale medium, etiam si aliud ad ipsum ordinetur, exercere veram causalitatem finalem propriè loquendo, & secundum intrinsecam denominationem, ut ita dicam. Et hoc probant omnia in priori assertionem adducta, quia medium etiam sub hac ratione consideratum, non habet in se unde trahat voluntatem ad amandum se propter se, sed ipse finis ad quem omnia media ordinantur, mouet voluntatem ad amandum omnia media, & subordinationem eorum inter se, seu quod idem est, idem finis mouet voluntatem ad amandum aliquod medium immediate propter se, aliquod verò immediate propter aliud medium, mediatè verò seu vltimatè propter se. Ipsa ergo bonitas finis est, quæ proximè & finaliter mouet, quamuis non semper terminet proximè & immediate relationem seu habitudinem mediij ad finem: causalitas autem finalis in motione Metaphorica consistit: hæc ergo non est in medio, etiam quatenus aliud ad ipsum ordinatur, sed est tantum in fine. Et confirmatur ex specificatione actuum voluntatis, seu electionum omnium mediorum tendentium ad eundem finem: nam omnes illæ recipiunt speciem, & honestatem vel malitiam ab ipso fine, ut latius tradunt Theologi in 1.2. q. 18. ergo signum est, licet vnum medium ordinetur ad aliud, tamen si omnia appetuntur tantum ut media, solum finem propter quem omnia appetuntur, esse, qui per bonitatem suam causalitèr omnes illas electiones.

At verò si de fine loquamur solū prout est termi-

nus ordinationis seu habitudinis alterius ad ipsum, sic vnum mediū dicitur finis alterius quod ad ipsum ordinatur, quia est terminus ad quem proximè refertur. Medium enim remotum ut tale est, non habet conuenientiam & proportionem cum fine nisi intercedente proximo medio; & ideo ad illud proximè ordinatur: ergo sub hac ratione participat tale mediū rationem proximè finis. Atq; hoc confirmant testimonia Aristotelis, & D. Th. in fauorē secundæ sententiæ adducta: fauet etiā cōmunis loquendi modus, absolute. n. dicitur vñ mediū amari propter aliud: ex quo genere locutionis colligit Arist. ubiq; rationem finis. Dices: si mediū participat munus & rationem finis sub ratione termini ad quē aliud medium ordinatur, cur etiam non participabit causalitatem finis, quæ in Metaphorica motione consistit? Videtur enim esse æqualis ratio. Maximè quia sicut, v.g. sanitatis amor mouet ad procurandam euacuationem, vel digestionem, aut aliquid simile, ita desiderium euacuationis mouet ad fumendam potionem, vel ad ambulandum, aut aliud simile medium.

Respondetur in primis differētiā esse, quia proxima ordinatio vnius mediij ad aliud attribuitur secundum id quod est materiale in ipsis, nimirū quatenus vnum mediū potest esse causa effectiua illius effectus, & ita potest bene ordinari vnum medium ad aliud, & è conuerso vnum esse terminus proximus ordinationis alterius, secundum id quod in ipso verè & realiter est: atq; ita potest participare rationem finis ut termini. Causalitas autem finalis formaliter prouenit à fine quatenus bonum est: & quia bonitas finis non participatur intrinsecè à medio propinquiore, etiam si aliud ad ipsum ordinetur, ideo non ita participatur ab eo causalitas finis, sicut ratio vel habitudo termini. Non est autem confundenda motio, vel naturalis resultantia, quæ est inter ipsos actus voluntatis (quatenus ex vno excitatur voluntas ad aliud) cum causalitate finali, nam illa causalitas inter actus potius est effectiua, quā finalis, siue sit per propriam efficientiam physicam (siue per naturalē sympathiam, & consensionem, de quo alias, nam ad præsens non refert) ratio autem finalis est ab ipso obiecto, & ideo, quamuis desiderium vnius mediij causet vel excitet desiderium alterius, nihilominus tamē in genere finalis causæ, tota illa motio prouenit ab eodem fine.

Nisi quis tandem velit dicere, quod sicut medium ex coniunctione ad finem sit amabile & appetibile, ita sit potens ad causandum finaliter, saltem electionem alterius mediij propter ipsum, & ita participare causalitatem finalem. Quod quidē in re non est diuersum ab eo quod diximus, nam ad summū hoc potest attribui medio per quandam extrinsecā denominationem. Nam sicut mediū non accipit aliquā intrinsecam bonitatem à fine, quia fiat appetibile, sed solum per extrinsecā denominationem, & quasi informationem accipit ab illo conuenientia & appetibilitatem obiectiuam; ita ad summum per similem denominationem extrinsecā potest participare causalitatem finalem: re tamen vera, tota illa causalitas prouenit ab ipso fine, eiusq; bonitate: & ideo sæpe dixi in superiorib. propriè, & per intrinsecam denominationem solum finem exercere causalitatem finalem.

Dices: Ergo eo modo, quo ratio finis attribuitur medijs ad quæ alia ordinantur, ita potest attribui illi medio, quod est primum in executione, & vltimum via intentionis: nam, licet ad illud non ordinetur aliud medium extrinsecum, ordinatur tamen ad illud ipsemet actus voluntatis, qui ad illud terminatur, unde etiam dici potest esse propter illud iuxta doctrinā superius traditam sect. 3. Rursus, licet illud medium per intrinsecam bonitatem non trahat voluntatem, tamen ut coniunctum fini, sicut ab illo redditur appetibile & conueniens per extrinsecam denominationem, ita per eandem potest dici causare finaliter, non per se ipsum, sed per finem tanquam per suā formam.

XIV.

XV.

XVI.

Obiecti. onē
satisfit.

extrinsecam. Respondetur primò, non esse magnum inconueniens hoc totum concedere, quod magis spectat ad modum loquendi, quam ad rem. Quod si quis velit hoc modo sustinere opinionem Gabrielis, facile poterit; nam & D. Tho. 1. p. qu. 5. ar. 6. vocat bonum vtile vt sic, terminum proximum motionis voluntatis. Veruntamen modus ille loquendi, præsertim quoad participationē causalitatis per extrinsecam denominationem, mihi videtur valde improprie, nam in rigore non mouet medium, sed finis ad medium, vt supra dicebam. Tamen quantum ad habitudinem termini potest dici participari à primo medio quatenus est materiale obiectum in quo versatur actus voluntatis, quod solum D. Th. loco citato intendit. Imò sub ea ratione qua dicitur actus esse propter ipsum, iam habet rationem primi medii, nā ipsemet actus subit quodammodo rationem prioris medii, vt in sectione 3. declarauimus.

Satis sit fundamentis aliarum opinionum.

XVII.
Quod sit obiectum adæquatum voluntatis.

Fundamenta aliarum opinionum, fere non indigent noua solutione, quia declarando veram sententiā partim soluta, partim ad ea quæ diximus confirmanda accommodata sunt. Solum ad id quod in fauorem prioris sententiæ obieciēbamus de obiecto adæquato voluntatis, dicendum est duplex esse obiectum potentie, materiale & formale: finis ergo nō potest dici adæquatum obiectum materiale voluntatis, quia etiā media sunt materia circa quam voluntas versatur, vt dictū est: finis autē dici potest formale obiectum adæquatum, quia quidquid voluntas amat, est finis, vel propter finem: & hoc intēdit D. Th. citato loco. Cum ergo dicitur omne obiectum voluntatis habere causalitatem finalem, intelligendum est de obiecto formali, non de materiali. Et eodem modo intelligendum est quod Aristot. ait, finem & bonum idem esse: intelligit enim de bono simpliciter, quod in se ac per se bonum est; quo sensu dixit etiam 1. Ethic. c. 7. bonum vniuscuiusque rei esse, cuius gratia operatur. Et in idem redit quod alii aiunt, finem esse adæquatum obiectum motuum voluntatis, non autem terminatiuum, & causalitatem finalem propriē conuenire obiecto motui, non autem purē terminatiuo. Conradus verò 1. 2. q. 1. art. 1. dicit finem esse adæquatum obiectum per se voluntatis, mediū autem esse obiectum per accidens, quod in idem redit, dummodo illud per accidens non ita intelligatur, vt existimetur voluntas non attingere ipsum mediū in se: si enim falsum esset, media esse obiecta per accidens, nam propriē & in se amantur, sed intelligendum est per accidens, id est per aliud, nempe per finem, atque hoc modo solum obiectum per se voluntatis potest habere causalitatem finalem.

XVIII.
An sit actus aliquis voluntatis à fine non causatus.

Dices: Ergo nullus est actus voluntatis qui non sit à causa finali, quia nullus est, qui non sit ab obiecto formali adæquato eius: hoc autem videtur falsum, tum quia aliquis est actus in voluntate qui nec circa finem, nec circa media versatur, vt Scotus, & nonnulli alii Theologi contendunt in 1. dist. 1. tum etiam quia simplex complacentia, vel inefficax desiderium rei impossibilis, non causatur à fine: cum nullo modo moueat ad consecutionem finis. Hæc obiectio petebat longam disputationem an in voluntate sit actus neuter, qui non sit causatus à fine, sed quia hoc non est nostri instituti, breuiter responderetur ad argumentum concedendo sequelam, nimirum, nullū esse actum in voluntate cum ratione & aliqua deliberatione operante qui non sit effectus finis, vt recte probat ratio facta, & ex omnib. dictis in sect. 3. confirmari potest. Ad priorem verò partem obiectionis negamus esse actum in voluntate, qui non sit aliquo modo, vel circa finem, vel circa medium propter finem, quod late probat Greg. in 1. dist. 1. q. 1. præsertim ex Aug. 1. de Doctrina Christiana, c. 8. vbi omnia bo-

na amabilia renocat ad bona quib. est fruendum vel vtendum, id est quæ sunt fines aut media. Quod etiā sentit Arist. 3. Eth. c. 3. & 4. & sumitur etiam ex D. Th. 1. cont. Gent. c. 86. Et ratio est, quia inter bonum propter se amabile, aut tantum propter aliud, nō potest reperiri medium. Nam quod Scotus putauit, bonū in communi, seu abstractè sumptum posse esse medium, verum non est, quia bonum in communi non abstrahitur nisi vt per se amabile, quia aliud quod solum propter extrinsecum finem amatur, non est bonum simpliciter, sed analogicè, & per extrinsecā denominationem, in qua non datur communis conceptus abstractus, vt ex superiorib. constat. Ad alteram partē obiectionis respondetur, in illo actu simplici seu inefficaci circa obiectum impossibile, non amari obiectum ipsum impossibile per modum finis inquirendi, vel assequendi, sed vel amari delectationem ipsam, quæ ex illo actu capitur, per modum finis, vel amari rationē aliquam boni, quæ in illo obiecto impossibili repræsentatur vel absolute, vel sub conditione. Nam illa est quæ mouet voluntatem ad illum simplicem affectum, & illa etiam est quæ participat causalitatem finis, non quidem quantum ad intentionem vel electionem, sed solum quantum ad simplicem affectū, hic. n. etiam versatur circa finem.

Quomodo priuationes participant causalitatem finalem.

Vltimò facilis planè est ex supra dictis resolutio secundæ difficultatis in principio politæ de obiectis negatiuis vel priuatiuis. Ad quam aliqui respondent, bonum quod potest causare finaliter, non est sumendum ita stricte vt cum vero ente reali conuertatur, sed latius quatenus conuertitur cum ente prout analogicè comprehendit etiam priuationes vel negationes: iuxta superius dicta disput. 1. sect. 3. nu. 3. Vt enim dixit Arist. 5. Ethic. c. 1. Minus malum quodammodo bonum est: priuationes ergo, & negationes, quibus re vera non afferant bonitatem, tamen quatenus remouent aliquod incommodum, censentur habere aliquam conuenientiam, ratione cuius possunt finaliter causare. Quæ sententiā in re, vera est: addere vero possumus, carentiam mali nō habere vim causandi finaliter nisi in virtute alicuius positiui boni: meritoque dici posse, priuationem magis amari vt mediū ad obtinendum bonum, vel ad plene illud fruendum, quam propriē vt finem, ideoq. illam causalitatem finis quæ est in effectu alicuius priuationis magis esse tribuendam bono, ratione cuius illa priuatio amatur, quam ipsi priuationi. Amat enim quis carere dolore propter delectationem illi oppositam, vel certè propter amorem suæ naturæ, & status conuenientis illi, qualis est indolētia, etiam illa voluntas positiua desit. Solum videtur huic doctrinæ obflare quod interdum amare potest aliquis nō esse simpliciter, quia amor nō potest causari ex amore alicuius boni positiui, quia non esse simpliciter & absolute nullum fundamentum positiui boni relinquit. Dicendum verò est, etiam, ipsum non esse, non posse amari, neq. habere vim mouendi affectum, nisi ex amore commodi ipsius esse: non enim amat aliquis non esse, nisi vt euitet aliquod graue incommodum ipsius esse, quod apprehenditur maius respectu propriæ naturæ, quam propter se diligit, quam omnino carere esse. Atque ita fit (quod est mirabile) vt ex nimio amore sui esse, appetere possit aliquis non esse. Lege D. Tho. 1. p. qu. 5. ar. 2. Heruzum quodlib. 8. q. 2. Duran. in 4. d. 50. q. 2. Ferrar. 3. cont. Gent. c. 19. Sanchin. 9. Metap. q. 16.

Quomodo relatio participet causalitatem finis.

Ad aliud de relationibus, aliqui contendunt non solum relationes reales, sed etiam rationis posse causa-

causalitatem finis exercere. Alij etiam relationib. re-
alib. eam vim negant, vt Henricus quodlib. 2. q. 1. & sa-
tis consequenter, si tenet relationem realem nullam
habere perfectionem. Et sane existimo nullam rela-
tionem vel rationis, vel ex his realibus quæ prædica-
mentales dicuntur, & solum censentur esse per re-
sultantiam ex fundamento & termino, nullâ (inquâ)
ex his relationibus esse propter se amabilem, sed so-
lum ratione sui fundamenti, vel propter concomi-
tantiam sui termini, nam qui amat famam, nō amat
relationem resultantem, sed realem existimationem
sui quam censet sibi esse valde convenientem, & sic
de alijs. Quare si falsâ existimatio nō intercedat, nū-
quam hæc possunt causalitatem finalem exercere.
Secus verò est de relationibus transcendentalibus,
quæ per se habent suas entitates, vel in conceptibus
aliquarum rerum absolutarum includuntur: ideo e-
nim per se bonæ ac convenientes esse possunt, vt pa-
ret de habitudine scientiæ, visus, & similibus, & ita
possunt hanc causalitatem exercere. Omitto etiam
relationes diuinas, quæ alia superiori ratione possunt
hanc causalitatem obtinere, maxime cum essentialiter
includant totâ essentia bonitatē ac perfectionem,

SECTIO VII.

An esse cognitum sit fini conditio necessaria vt
possit finaliter causare.



Ecce quæstio coincidere videtur cum
illa, quæ de obiecto voluntatis tractari
solet, an voluntas possit ferri in in-
cognitum, re tamen vera non omnino
sunt eadem, licet valde connexæ sint:
nam licet voluntas ferretur in incognitum, nō pro-
pterea causa finalis causaret non cognita, sed potius
dicendum tunc esset, voluntatem elicere actum suū
sine propria causalitate finis circa ipsam, quia tunc re-
vera moueretur voluntas non tracta, neque mota ab
obiecto, sed ex sola sua efficacia tendens in obiectum.
Atq; ita præsens quæstio non omnino pendet
ab illa alia, quamuis è conuerso si voluntas non po-
test ferri in incognitum, recte inferatur nec finē pos-
se causare, nisi sit præcognitus.

Finis non causat nisi cognitus.

II. Dico ergo primò, vt finis causet, necessarium om-
nino est vt præcognitus sit. Hæc est omnium
Philosophorum recepta sententia, quos inferius, &
præsertim scilicet sequenti recensebimus. Et probatur
primò à priori ex modo causandi huius cause, qui est
Metaphoricè mouendo & alliciendo appetitū. Hæc
enim Metaphorica motio, vt supra explicatum est,
fundatur in naturali consensione, & sympathia in-
tellectus & voluntatis, quæ intelligi non potest nisi
medijs actibus talium potentiarum, nam dum non
operantur, neque mouent, neque mouentur, neque
villam vitalem consensionem habent. In hac verò
consensione necesse est vt præcedat actus intellectus,
quia ille per suum actum vel obiectum se habet vt
motor, & voluntas vt mota: ergo ad hanc Metapho-
ricam motionē quam causa finalis exercet circa vo-
luntatem, necessaria est præuia eius cognitio.

III. Secundo, quia vt realis causa causet, aliquo esse in-
diget, sed causa finalis nō necessario postulat esse exi-
stentiæ realis proprium & in se: ergo saltem requirit
esse in cognitione, atq; ita sit vt finis sæpe causet quā-
do non existit, vt supra visum est: nunquam autem
si non sit cognitus. Sic adeo, vt licet interdum reali-
ter existat, si non sit apprehensus, nihil moueat affe-
ctum. Vt propter hanc causam, inter alias, merito di-
ctum sit. *Thesaurus occultus, & sapientia inuisa, quæ vi-
litas in vrisque*: Atque ex eadem radice fit, vt finis et-
iam in re bonus sit, si tamen vt talis non cognosca-

tur, sed falso apprehendatur, vt malus, non alliciatur
sed potius retrahatur voluntatem.

Tertiò à posteriori hoc confirmatur ex eo, quod
voluntas ferri non potest nisi in bonum cognitum.
Quæ veritas est quasi primum principium & axio-
ma Philosophorum omnium, & Theologorum. A-
ristoteles enim 3. de Anim. cap. 10. ait, *appetibile non pronuncia-
mouere nisi mente aut imaginatione perceptum*, cui con-
sentiant ibi omnes interpretes, & optimè D. Thom.
1. par. quæst. 82. art. 4. & 1. 2. quæst. 3. ar. 4. ad quartum.
& quæstione 9. artic. 1. Estque expressa sententia Diui
Augustini lib. 10. de Trin. cap. 1. & 2. Rem (inquit) *pro-
sus ignotam amare omnino nullus potest*: idem li. 15. c. 26.
vbi ait, *amorem oriri in nobis ex mentis notitia*: idem lib.
8. cap. 4. & lib. 3. de liber. arb. cap. 25. & alibi sæpe. &
D. Gregor. lib. 5. Moral. cap. 23. & lib. 23. c. 12. & lib. 31.
cap. 12. & optimè Bernard. lib. de interiori domo. ca.
18. & 19. & lib. de grat. & lib. arb. non longè à princi-
pio, & serm. 7. 8. & 52. in Cantica, & Anselm. in Mo-
nolog. cap. 48. *Nulla res amatur sine sui memoria, aut
intelligentia*.

IV.

Aristotelicū
tum.

Ratio autem à priori huius veritatis sumenda est.
ex principio à nobis posito in assertionē, nimirum,
quod causa finalis non potest causare nisi sit cognita:
adiuncto alio, videlicet, quod voluntas non potest se
mouere nisi aliquo modo finaliter mota, & ideo fer-
ri non potest nisi præuia cognitione. Minor, seu se-
cunda propositio, experientia constat, non enim po-
test appetitus vitalis inchoare suam vitalem appeti-
tionem solum ex se ipso, nisi aliquo modo alliciatur,
& moueatur ab appetibili. Ratio autem reddi potest
vel ex generali conditione potentie vitalis, præser-
tim eius quæ agit actione immanente, quæ agere nō
potest nisi mota aliquo modo, vel determinata à suo
obiecto: hæc autem motio respectu appetitus Meta-
phorica est. Vel reddi potest ratio ex conditione ap-
petitus: omnis enim appetitus sequitur aliquod esse,
& aliquam formam seu naturam: appetitio autem e-
licita non sequitur immediatè ex ipso naturali esse,
seu naturali forma, vt constat, & ideo necesse est vt
sequatur formam apprehensam, & esse cognitum,
quod ab illa provenit: vnde sicut absque naturali ef-
fe nō sequitur appetitus naturalis, ita nec sine cogni-
tione sequitur elicitus. Sed est discrimen, quod ap-
petitus naturalis, quia in re non est distinctus ab ipsa
natura vel facultate naturali, comitatur illam quali
formaliter seu quasi per naturalem sequelam no-
stro modo concipiendi: appetitus autem elicitus est
longè alterius rationis, & est actus distinctus à forma
apprehensa, seu à conceptu tam formali, quam ob-
iectiuo; & ideo non causatur ab illo formaliter,
sed finaliter ab obiecto bono per cognitionem ap-
plicato.

Deus ne possit efficere vt amet voluntas in-
cognitum.

VI. Atque ex his rationibus inferunt frequentius
Theologi, non solum secundum naturæ ordinē
esse necessarium vt cognitio præcedat appetitionem
elicitam, sed etiam de potentia absoluta impossibile
esse vt aliter fiat, seu quod voluntas feratur in in-
cognitum. Quam sententiam insinuat D. Thomas
locis citatis; & apertius id docet Henricus quodlib. b.
1. quæst. 15. & Gabriel in 2. d. 25. quæst. 1. art. 3. dub. 3.
Dionysius Car. huiuslib. de laudib. vitæ solit. art. 36. &
37. Et hæc sententia mihi vera videtur satisque pro-
bari rationib. superius factis. Optime vero declara-
tur ex illis duobus principiis scilicet, quod voluntas
in suo actu essentialiter pendet ex causalitate finali,
quia non potest appetere nisi Metaphoricè mota seu
excitata à bono quod amatur: & quod causa fina-
lis omnino necessario & essentialiter requirit esse co-
gnitū vt causet, quia Metaphorica motio neq; intelli-
gi potest nisi media cognitione, vt satis declaratum est.

Non